

Herodicea.

Aristophanis Ranarum v. 1028, quo de Persis Aeschylea apud inferos iudicat Bacchus, in codice Ravennate sic scriptus est:

έχάρην τοῦν ἡγίκ' ἥκουσα περὶ Δαρείου τεθνεῶτος.

Parisinus D et Florentini unius margo praebent metro sanato:

έχάρην τοῦν ἡγίκ' ἀπηγγέλθη περὶ Δαρείου τεθνεῶτος.

Erant qui in hac scriptura acquiescerent¹: consilio adeo rudem fingi Bacchum, ut mortem Darei in Persis nuntiari censeat; item iocum dei omnia confundentis in sequenti versu inesse: δ χορὸς δ' εὐθὺς τῷ χεῖρ' ὧδι ζυγκρούσας εἶπεν ἵαυοι, quod ipsum quoque alienum a fabula Aeschylea². Alii coniectando hos versus Persis accommodarunt, quin etiam interiectiones ἵαυοι in Aeschylis fabulam inferre ausi sunt³. Temptarunt hi: ἐ. γ. ἡγίκ' ἔκειν' ἄδιον περὶ Δ. τ.⁴ ἐ. γ. περὶ νίκης τι μαθῶν παρὰ Δ. τ.⁵ ἐ. γ. τῇ νίκᾳφούσας παρὰ Δ. τ.⁶ ἐ. γ. ἡγίκ' ἵαν ἥκουσ' ἀπὸ Δ. τ.⁷ ἐ. γ. ὃς ἥκουσ' υἱοῦ περὶ Δ. τ.⁸ ἐ. γ. ἡγίκ' ἀπηγγέλθη παρὰ Δ. τ.⁹ ἐ. γ. ἡγίκ' ἐπηγγέλθην περὶ Δ. τ.¹⁰ ἐ. γ. ἡγίκα φάσμ' ἐφάνη

¹ Inter alios G. Hermannus: de Aeschylis Persis diss. Lipsiae 1812 = opusc. II p. 97 et 150. Naekius: index lect. Bonn. aest. 1832 et hibern. 1832/33 = opusc. I p. 90 sqq.

² Naekius l. l. putavit memoriae Bacchi obversari Pers. 572. 581. 664 — 672. 694 sim.

³ Blomfieldius coniecit Pers. 662 βάσκε πάτερ . . . ἵαυοι. Consilio omisi eos qui comici verba ad Darei umbram rettulerunt: loco illi vim inferunt. cf. Stanleius ad Aesch. Pers. 683. Spanhemius ad verba Arist. et adnot. ad argum. Persarum et v. 653. Seidler in adnot. ad Ranas Naekio [cf. l. l.] missis: 'quum diceretur, nuntiaretur Darium esse evocandum vel evocatum iri'!

⁴ Koechlyus: Verhandl. der 29. Philol.-Vers. zu Innsbruck. Leipzig 1875 p. 73.

⁵ Velsenus in edit. 'coniectura quamvis incerta' tamen ab eo in textum est recepta; confert Pers. 829 sq.

⁶ Fritzschus in edit. magna Turic. 1845.

⁷ Meinekius in edit. Aristophanis.

⁸ Kockius in edit.

⁹ Bothius olim in edit.

¹⁰ G. Hermannus in epist. ad Fritzschium [cf. l. l.] missa interpretatus 'cum mihi Darei umbra adnuntiaretur'.

Δ. τοῦ τ.¹ Fortasse harum rationum altera utra esset probanda, nisi ex scholiis sciremus, quae antiqui grammatici protulerint ex parte interpretandi via inita longe diversa. Itaque priusquam ipsi interpretationibus contortis aut conjecturis vanis indulgeamus, antiquos examinemus a nostratibus increpitos saepissime², auditos ita ut decuit numquam. Duebner p. 303, 46 sqq. haec habet: [I] Ἐν τοῖς φερομένοις Αἰσχύλου Πέρσαις οὕτε Δαρείου θάνατος ἀπαγγέλλεται οὕτε χορὸς τὰς χεῖρας συγκρούσας λέγει ἴωσι³, ἀλλὰ τὰ μὲν πράγματα ὑπόκειται ἐν Σούσοις καὶ περίφοβός ἐστιν ἡ μῆτηρ Ξέρξου ἐξ ὀνείρου τινός· χορὸς δὲ Περσῶν τερόντων διαλεγόμενος πρᾶς αὐτὴν, εἴτα ἀγγελος ἀπαγγέλλων τὴν περὶ Σαλαμίνα ναυμαχίαν καὶ τὴν Ξέρξου φυγήν. [II] Χαῖρις δέ φησι τὸ Δαρείου ἀντὶ τοῦ Ξέρξου. σύνηθες γὰρ τοῖς ποιηταῖς ἐπὶ τῶν οὐών τοῖς τῶν πατέρων δόνόμασι χρῆσθαι. [III] πρᾶς δὲν ἐστιν εἰπεῖν ὅτι ἐν τῷ δράματι λέγεται· Ξέρξης μὲν αὐτὸς ζῇ τε καὶ βλέπει φάος. [IV] Ἡρόδικος δέ φησι διττὰς τεγονέναι τὰς καθέσεις⁴, καὶ τὴν τραγῳδίαν ταύτην περιέχειν τὴν ἐν Τλαταιαῖς μάχην. [V] δοκοῦσι δὲ οὗτοι οἱ Πέρσαι ὑπὸ τοῦ Αἰσχύλου δεδιδάχθαι ἐν Συρακούσαις σπουδάσαντος Ἱέρωνος, ὡς φησιν Ἐρατοσθένης ἐν γ' περὶ κωμῳδιῶν. [VI] Ἀλλως Δίδυμος· ὅτι οὐ περιέχουσι θάγατον Δαρείου οἱ Πέρσαι τὸ δράμα. διὸ τινὲς διττὰς καθέσεις⁵, τουτέστι διδασκαλίας, τῶν Περσῶν φασι [Herodicus⁶], καὶ τὴν μίαν μὴ

¹ G. Dindorfius in Philol. vol. XIII p. 494 sq. et poet. scen. Graec. idem voce ἴωσι respici putat Pers. 657, ubi ἴωὰ addit.

² Cf. G. Hermannus l. l. Seidler l. l. Fritzschius l. l. p. 331 sqq. Naekius l. l. ‘boni grammatici quum non intelligerent Aristophanem, quippe tum extincto comicae licentiae sensu atque usu’.

³ Cod. Par. 2821 et Ald. addunt: δὲν ἐστιν ἐπιφώνημα πρᾶς τὸν Διόνυσον λεγόμενον χαρᾶς ἐπελθούσης.

⁴ Sic Dobraelius conjectura palmarum pro librorum διττοῦ τεγονέναι τοῦ θανάτου; cf. infra Didymī: τινὲς διττὰς καθέσεις φασί. Nihili fuit Naekii [cf. l. l.] δίχα τεγονέναι (scil. τοὺς Πέρσας) τοῦ θανάτου, quod Welcker Mus. Rhen. V 1836 p. 214 recepit interpretalus: in Persis tantum abesse, ut mors Darei nuntietur, ut contra Plataearum mentio fiat. Schuetzius διττὸν τεγονέναι τὸ δράμα, Blomfieldius Aesch. Pers. praef. XXV διττὰ τεγονέναι τὰ δράματα.

⁵ καταθέσεις Venetus, ceteri θέσεις; correxit Casaubonus ad Athen. VI 235e.

⁶ Herodicum a Didymo adhiberi moneo contra Carolum Schmidtium, qui in progr. Elbing. a. 1886 edito ‘De Herodico Crateteo’ in multis bene meritus ea in re non videtur audiendus, quod saeculo p. Chr. n.

φέρεσθαι. τινὲς δὲ γράφουσι Δαρείου τοῦ Ξέρξου¹. οἱ δὲ ὅτι τοῖς κυρίοις ἀντὶ τῶν πατρωνυμικῶν κέχρηνται [Chaeris], καὶ ὅτι ὁ Ξέρξης, οἱ δὲ ὅτι εἰδωλον Δαρείου φθέγγεται, ἐκείνου τεθνηκότος δηλονύτι.

Ex eis quae numeris I II III VI notavi, nil novi discimus: haec aut notissima aut inepta, qualia quivis hodie quoque comminiscatur. Id unum monendum, auctorem eum qui Δαρείου θάνατος ἀπαγγέλλεται scripsit, non Ravennatis² sed Parisini lectionem ante oculos habuisse videri. Plane alia est res in eis quae Herodici et Eratosthenis auctoritate nituntur, in IV et V. Herodicus nempe in κωμῳδουμένοις³ difficultatem ita expedit, ut moneret Persas fabulam bis doctam esse atque in retractata pugnam infuisse Plataeensem. Iam Eratosthenes priorem Athenis actam a posteriore Syracusis Hierone auctore in scaenam reducta separarat ipse quoque, ni omnia fallunt, hac re, quippe quam ἐν τῷ περὶ κωμῳδῶν exposuisset, ad locum Aristophaneum explicandum usus⁴. De re dubitatio non est: confirmatur enim cum per se sit dignissima fide, praeterea supple-

primo eum tribuit. cf. p. XIII adn. 2. Cum Didymus Ciceronis temporibus degerit, Herodicum nullo modo post annum 50 a. Chr. n. vixisse putabimus.

¹ Nisi sana esse scriptura incredibilisque stultitia ignoti grammatici statuitur, non cum Dindorfio Δαρείου delendum, sed ἀντὶ αὐτοῦ ante Δ. supplendum erit [περὶ τοῦ Ξέρξου τεθνεῶτος].

² Cuius scripturam ἔκουσα metro renitentem ex glossemate ortam ego putare malim, quam cum Dindorfio Fritzschio aliis ἀπηγγέλθη illud nulla dignum reprehensione ex scholiis derivatum iudicare.

³ Cf. Athen. XIII 586 a. 591 c. schol. Arist. vesp. 1239.

⁴ Male virorum illorum testimonia cum loco Aristophaneo ad aliam trilogiae tragoidiam rettulerunt Gruppius Ariadnae p. 85—90 et Welcker. Hic primum quidem [Aeschyl. Trilogie p. 475 adn. 767] putavit Bacchum non ut spectatorem loqui, sed de eis quae a spectatoribus de Darei umbra in Persis comparente audierit; λαοῖ vero illud non ex Persis esse, sed choreutarum de tragedia nova exsultantium [quam sententiam praeiverat Jacobs introductione in Persas Museo Attico inserta]. Postea [cf. Mus. Rhen. V p. 232 sq.] verba Bacchi de 'Phineo' fabula dicta putavit: Phineus Argonautis praesagit bella Europae cum Asia futura, nec oblitiscitur mortis Darei, quam ubi audierunt Argonautae (chorus) exsultant. 'Diese [Prophezeihung der Schlacht von Plataeae] hier gilt einer Meldung wie der von der Schlacht von Salamis vollkommen gleich, ist nur eine durch die Umstände veranlasste neue Form derselben, und mit Recht sagt daher Herodicus, dass die Perser die Schlacht von Plataeae enthielten'.

mento vitae Aeschyleae quod Robortellus e cod. Guelf. edidit: φασὶν ὑπὸ Ἱέρωνος ἀξιωθέντα ἀναδιδάξαι τοὺς Πέρσας ἐν Σικελίᾳ καὶ λίαν εὐδοκιμήσαι. ἐκ τῆς μουσικῆς ἱστορίας, cuius testimonii apud Dionysium sive Rufum servati fontem fuisse Eratosthenis librum de comoediis III mihi non persuadebitur; fortasse de Callimachi tabulis cogitandum. Itaque cum tantum non certum sit Eratosthenem primum ad versum Aristophaneum fabulae desperditae memoriam adhibuisse¹, admodum fit verisimile Herodicum, quem eidem addictum sententiae videmus, sua uni Eratostheni debere; nam κωμῳδούμενα cum conderet, num Eratosthenico opere omnium clarissimo potuit carere? Herodicus unus testis est fabulam retractatam, ad quam Aristophanes respexerit, ‘pugnam Plataeensem complecti’. Ne hac quidem in re fidem ei cur denegemus, causa est: nam cum constet tragoe-diam rege Dorico auctore in urbe Dorica retractatam esse², quid mirum in Plataeis Salamini substitutis? Tantum igitur abest, hanc doctrinam ut falso ab Herodico excogitatam esse, ut vere dignam Eratosthene censem atque ex eius de comoediis libro III ab Herodico repetitam. Is vero, qui primus ad pugnae Plataeensis in Persis descriptae memoriam recurrit, sive Eratosthenes fuit sive Herodicus, quomodo scriptum legit versum Aristophaneum? Certe non legit quae nos:

ἔχαρην τοῦν ἡνίκ' ἥκουσα aut ἀπηγγέλθη περὶ Δ. τ.

quis enim sanus, nedum Eratosthenes, Dareum pugnae Plataeensis tempore obiisse opinaretur? Atque etiam quid illum eadem ac nos legentem iuvit omnino retractationis Persarum mentionem fecisse, qua qualiscumque fuit nullo pacto Darei mors potuit ‘nuntiari’ vel ‘audiri’?³ Interpretes antiqui, si ad difficultatem versus tollendam memoriam redintegrarunt fabulae retractatae ac pugnam Plataeensem complexae, invenerunt in versu illo mentionem rei sive in ea ipsa pugna sive tempore eius actae. Iam quae fuit haec res, qua gavisus est Bacchus φιλέλλην, percussus chorus Persarum? τεθνεώτος illud viam monstrat: mihi persuasum est nuntiatam esse eius viri mortem, qui per bella Persica longe

¹ Fritzschium non audio, qui l. l. haec profert: ‘nova Persarum recensio, quam Herodicus finxit; neque enim huius mendacii ab Herodico primum commissi ullo modo auctor esse poterat magnus ille Eratosthenes . . itaque unus Herodicus coniecit duas extitisse Persarum recensiones, cuius ego mendacii mirari satis non quo impudentiam’.

² Nec me hercule ab eo poeta, qui Doribus invideret obtrectare que, cf. Aesch. Pers. 183 et 817.

³ ‘Atque ea ipsa quae de duplice Persarum editione ab iis dicuntur, ineptissima sunt; nam illud quidem in neutrī Persis fieri ullo modo poterat, ut mors nuntiaretur Darei’ Fritzschius.

acerrimus nominis Graeci fuerat hostis summumque periculum, Mardonii¹. Legerunt Eratosthenes Herodicusque

έχάρην τοῦν ἡγίκ' ἀπηγγέλθη περὶ Μαρδονίου τεθνεῶτος.

Iam intellegimus, quid sibi velint verba: διτταὶ γεγόνασιν αἱ καθέσεις [τῶν Περσῶν] καὶ αὕτη ἡ τραγῳδία περιέχει τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην, δοκούσι δὲ οὗτοι οἱ Πέρσαι ὑπὸ τοῦ Αἰσχύλου δεδιδάχθαι ἐν Συρακούσαις σπουδάσαντος Ἱέρωνος. Postericum in fabula servata Mardonium mortuum non haberent, Δαρείου substituerunt regiae umbrae memores. Hanc scripturam Chaeris Didymus deinde alii invenerunt frustraque interpretantur. Aristophanes igitur eam Persarum formam respicit, quam Hiero ac Syracusani primi spectarant, post Athenienses quoque Aeschylō mortuo; revixerat fabula fortasse paullo ante quam Ranae actae sunt, certe hominum memoriae inhaesit chorū gestus²; post Septem³ eam in scaenam datam dicit apud Aristophanem Aeschylus v. 1026: εἴτα διδάξας Πέρσας μετὰ τοῦτ'⁴, nec ignotum quam facile post poetae mortem fabulae eius admissae sint.

Iam meminerimus duas ferri glossas⁵ ex Persis Aeschylī sumptas, quas non invenimus in fabula nostra. Iniuria G. Hermannus in hanc eas inculcavit, Welcker et Gruppius ex eiusdem tetralogiae alia fabula depromptas esse voluerunt, nec minus falsum foret referre eas ad versus quos Koechlyus ne suo quidem iure excidisse putavit in fine Persarum. Locum glossae illae habuerunt in tragedia Syracusis docta, iam Eratostenis temporibus perperdita.

Narvae Rossorum.

Iulius Schoenemann.

¹ Testimoniis si opus est, cf. Herodot. VII 5 sqq. IX 12 sqq. al. Diodor. XI 1—31. Pausan. I 1, 5. 27, 1.

² Ceterum cf. Quint. XII 3, 123 ‘nam etiam complodere manus scenicum est et pectus caedere’.

³ Scimus Persas quam habemus tragediam anno 472 actam esse ante Septem.

⁴ Cf. scholion: τοὺς Πέρσας Αἰσχύλου δράμα οὕτω καλούμενον. τὸ δὲ εἴτα καὶ τὸ μετὰ τοῦτο οὐ θέλουσιν ἀκούειν πρὸς τὰς διδασκαλίας, ἀλλ’ ἐν ἴσω τῷ καὶ τοῦτο ἔδιδαξα καὶ τὸ ἔτερον.

⁵ Athen. III 86b Αἰσχύλος δὲ ἐν Πέρσαις τινάς νήσους νηριτοτρόφους εἴρηκεν: Dind. nisi potius aquiescentium in librorum scriptura excerptoris fortasse manus vitiata: τίς ἀνήρει (scil. ἀνήρει) τὰς νήσους νηριτοτρόφους. — Bekker anecd. p. 1073 (67, 7) [cf. Max. Planudis schol. Hermog. Walz^V p. 486] Φρύνιχος ἐν τῇ σοφιστικῇ παρασκευῇ παρατίθεται τὸ ὑπόδευλος ρήτωρ καὶ ποιητής. εἴρηται δὲ, φησί, μεταφορικῶς ἀπὸ τῶν ἐν ξύλοι σκευῶν, οἵς ἐπιπολῆς ἐπελήλαται ἀργυρος, κείται δὲ ἐπὶ τῶν λαμπρῶν μὲν ἔξωθεν καὶ ἐπιεικῶν, πονηρῶν δὲ τὰ ἔνδον. Αἰσχύλος δὲ ἐν Πέρσαις μέμνηται καὶ Διογενιανὸς ἐν τῇ λέξει τούτου καὶ Διονύσιος ἐν τῇ ἑκλογῇ τῶν δνομάτων. Λιβαῖς γλώσσαι posteris videntur ex opere Pamphileο innotuisse.